

3  
Conjugg. novellis.

REVERENDO AC DOCTISSIMO VIRO

D. BALTHASARI NIGRINO,

FIDO JESU CHRISTI

Servo, in Ecclesiâ AGRI BOH-

RANI,

ET

BARBARÆ NEOMENIÆ

VIRGINI LECTISS.

Reverendi Clarissimique Theologi

D. JOANNIS NEOMENII,

Aulæ LIGIO-BREG, Ecclesiastæ, &

Ecclesiarum per Ducatū Bregensem

SUPERINTENDENTIS

Filiæ carissimę

GRATULANTUR AMICI.



BREGÆ, Typis Casparis Sigfridi. M. DC. XIV.

**N**ascitur æquales inter, consensus maior:  
 Inde pari nubat, nubere si qua volet.  
**S**ponse, & Sponsa, pares estis, ratione parentum,  
 Exsequitur mystæ munus, uterq; parens.  
 Estis mente pares, par est utriusq; voluntas,  
 Par amor est vobis, par & utrisq; fides.  
 Nomina quin vobis non disparia esse, fatendum est:  
 Nam nova Luna nigra est, diceris ipse Niger.  
 Aptior est juveni nova Luna, vetusq; vetusto:  
 Tu Sponse es juvenis, Sponsaq; Luna nova est.  
 Hinc erit inter vos semper concordia magna,  
 Mutua sine fides, sine carebit amor.  
 Sine fides careat, durent constanter amores,  
 Cingant perpetuò candida fata torum.  
 Cynthia præ reliquis stellis est proxima terræ:  
 Proxima sit Luna hæc, nocte, dieq;, tibi.  
 Quovis mense, ad idem punctum, redit aurea Luna:  
 Sæpius at Luna hæc, punctum ad idem, redeat.  
 More novæ Lunæ crescat: facit utq; maritum  
 Te; sic efficiat mater & ipsa patrem.  
 Est diversa phasis, phasis at Neomenia, Lunæ,  
 Plenaq;, præ reliquis apta, placere tibi.  
 Cum Luna Endymion, multas genuere puellas,  
 Progeniem, sexus vos utriusq;, date.  
 Quartâ sive novâ Luna nati, esse putantur  
 Imbelles, vegetos hæc nova Luna ferat.  
 Nomine cognata est Lunæ huic, Latonia Phœbe,  
 Nomine cognatam, haut deseret ipsa, sibi.  
 Astronomis, nostris Lunæ angustissima sphæra est,  
 Conficere hanc, minimo tempore, & illa potest.  
 Sphæra novæ Lunæ, quæ, qualis, quanta sit huius,  
 Absit, ego ut nôrim: talia nosse, tuum est.

Per

Per visum, tactumq; hoc explorare licebit,  
 Optima natura hîc esse magistra solet.  
 Orbis, qui defert caudam, caput atq; Draconis,  
 Est Lunæ: Sponsæ talis an orbis inest!  
 In capite, aut cauda est, Luna obscurata, Draconis:  
 Sit locus an caudæ hîc, scribere turpe foret.  
 Iunctus in eclipsi, rectâ, sive oppositus Sol  
 Est Lunæ: hinc sortis fulmina sæva timent.  
 Si fueris Sponsæ oppositus, junctusve, NIGRINE,  
 Quid fiet? decima hoc Luna docere potest:  
 Præsertim eclipsis, media, aut mora maxima si sit:  
 Vix res construitur, tempore, magna, brevi.  
 Pallida Luna solet pluvias præcedere: rubra,  
 Ventos: purgatum ast æthera, pura notat:  
 Non tua Luna pluat, nubes ingrata marito est;  
 Nubes at pluvias antevenire solet.  
 Ventis non opus est, nisi lis dominetur, & ira,  
 Tunc flatu valido tollere utramq; licet.  
 Tristia cuncta, hilari, nova Luna hæc, fronte serenet,  
 Obsequiosa tibi, non odiosa tibi,

*Hieronymus Pfertner D. facetè lude-  
 bat, serioq; gratulabatur.*

**U**Nanimes quoniam mentes in amore vovendum est,  
 Et consanguinei federa firma tori;  
 Dum fata Theiologum de sanguine pectora hinc,  
 Se satagunt parili consociare jugo.  
 Ut benè cedat opus, tu IHOVA calorifer adsis,  
 Atq; tui Sponfos Numinis igne fove.  
 Hoc præsentem nihil pote lis, nihil ira, nec orcus:  
 Omnia pro votis, hoc moderante, cadent.

A 2

Barbara

Barbara Balthasari Neomenia juncta Nigrino,  
A Phœbo ut Phœbe, lucis habebit epos.  
Si quid nigroris fors improba forsitā addet,  
Diluet id radiis casta favilla suis.  
Sit sine nube torus! sit req; & pignore dives!  
Natorum & Natis longa senectā cluat;

*sincero adfectu gratulab.*  
CASPAR CUNRADUS  
Phil. & Med. D.

---

Sponsis novellis.  
DN. BALTHASARI NIGRINO  
&  
BARBARÆ NEOMENIÆ

**N**on gaudium majus parentibus solet  
Assurgere ex re quāpiam hujus seculi,  
Quā liberorum commodis: tūm maximè  
Postquam elocârunt hos honestis nuptiis,  
Videntq; mites & fauentes, invicem  
Amore more, corde, & ore prosequi.  
Quid jam putatis, tu Gener, tu filia,  
Mibi esse posse dulcius vel gratius,  
Præter salutem mentis atq; corporis  
Vestram, DEI largissima cum Gratia,  
In unitate Spiritus: ut mutuus  
Vobis amor sit semper florens & virens,  
Una & voluntas in duobus cordibus?  
Ne mente sit Sponsus niger, nec barbara  
Sit Sponsa moribus, nec verbis aspera:  
Sit candor ast verborum & morum regula,

*Amor*

*Amor calensq; : sic pax stabit aurea.  
Hoc, hoc, quod intimè delectat est, idemq;  
Hoc afficit mentes parentum suaviter.  
Hoc ergò vobis à D E O ter Maximo  
Votis precor meis : mecum precantur &  
Vestri simul cognati, utrisq; ex partibus.  
His annuat votis J E H O V A calitus  
Qui Cuncta solus fert & possidet bona.*

Fausti ominis ergò  
fac: & scribb.  
Iohannes Neomenius.

In illud Atticum,

ἡ ἰσότης πολέμον ἔποιεῖ  
Aequalitas non facit bellum.

**H** Aut detestandum pariunt æqualia bellum  
Tritum veridicis Attica turba tulit.  
Eventu effatum patet istud; congrua durant;  
Adversantia, ceu fulmine tacta, cadunt.  
Omne, chare Nepos, quo sint tua dispice, cepta,  
Conijce, num finem sint habitura bonum.  
Nulla heïc disparitas, parili nam lance geruntur  
Singula; degenerem degener ordo facit.  
Qvis nescit, quod sis Pastoris Filius? Ecce;  
Tali Patre etiam Sponsa petita fata est.  
Sancta tuo Pietas sibi sedem in pectore fixit;  
Sic imbuta Dei Nupta timore viget.  
Moribus es lectis, nil corq; subintrat amari:  
Gestu, grata ideo, Nympha decora tua est.  
Floridus es annis, & viribus integer exstas:  
Exornat Sponsam pulcra juventa tuam.

A 3

Aequales

Æquales nexus, & copula svavis amantūm:  
Si cūi vis lætè nubere, nube pari.

*M. Nathanaël Tilestus P. L.  
Ecclesiarum liberi Baronatus Mi-  
leterensis Pastor & Superintendens,  
Dno. Sponso, suo ex sorore Nepoti  
αὐτοσχεδιαζέει.*

---

**Q**ui mos, quæ pietas pauca à me disticha poscit  
non opus est verbis, meq; tacente patet.  
Et nisi mi Fili, mihi fontica causa fuisset  
ornassem thalamum carmine, crede tuū.  
Pro multis ergo tantum hoc nunc accipe votum,  
Uotum unum innumeris quod tibi pro numeris  
Sit vobis voveo præsens benedictio IOVÆ  
Sit vobis pia concordia perpes amor.

*Ex animo gratul. Barthol. Nigrinus  
Pastor Bancananus Sponsi parens.*

---

**Q**uos sacra iungunt numina  
In lecti eodem foedere:  
In orbe possunt hoc minus  
Homines mali disjungere  
Iunxere vos, En, Numina  
quis separet ergo! DEUS,  
Letho. Lethum sit serius  
amorq; constantissimus.

*M. W. M. D.*

*Quid*

**Q**uid dicam bone Sponse Tibi, quotiesq; beatū  
Et faustum hac ipsâ Te vocitabo vice?  
Bis certè hoc uno felix mihi diceris anno  
Qui geminâ fructûs utilitate capis.  
Nuper enim, dum cura Tibi commissa docendi,  
Quâ se fertilibus Borava jactat agris,  
Et honor, & sancto sunt tradita digna labore  
Præmia, vix alio sic capienda loco.  
Nunc, ubi Sponsa Tibi, Magnorum nata Parentum,  
Ordinis &, summo non sine honore, sacri:  
Sicq; adeò æqualis Virgo, & florentibus annis  
Ducitur in sanctum, pulcra, pudica, torum,  
Nonne iterum felix, qui talia commoda sentis,  
Bisq; adeò faustus nunc videare mihi?  
Sic Pater ipse tuus, tua Is utraq; commoda cernens,  
Bis etiam felix jure vocandus erit:  
Sic Socer, ingenio Neomenius arteq; præstans,  
Bis annum hunc felix atq; beatus agit:  
Nēpe quod Ipse etiam magno fuit auctus honore,  
Huic ubi sacrorum tradita cura Patrum,  
Et Generum quòd Te talem, fuit, ordine natum  
In sacro, nactus, ordine deq; sacro:  
Gratulor hæc Vobis Animæ felicibus usæ.  
Sideribus, ternamq; apprecor ipse vicem:  
Scilicet ut placidè Nubentes tempora ducant,  
Nubilaq; (ah fuerint nulla!) serenet amor.

Ter

Ter felix fueris ita Sponse, Paterq; Socerq;  
Ambo Tui; atq; parum, quod quiritentur, erit.  
Ut tamen Illi Tuq; quater dicare beatus,  
Adnumerent quartam Pignora chara vicem,  
Hæc brevibus precor: hæc, &, quæ modò cætera  
restant,  
Sufficiat clemens omnia fausta DEUS.

*Meritò Lubensq;  
sed enim properè fundeb.  
Tobias Libaldus Philos.  
& Med. D.*

---

**N**omine tu tantum NIGER es, Neonymphe,  
coruscas  
Ingenio officio, &, Gentis agone, tuæ.  
Sat tabulâ hac laudis; sed quid Proserpina,  
amoris  
Conscia, jurati pacta ubi solvit, ait?  
Sis NIGER usq; licet dictu; NEOMENIA Sponsa  
Adficiet faculis stemma domumq; tuam.  
Magna, agé, condixit: condictis, Christe, faveto,  
Ut, Soceris, Sponsis, sint in amore rata.

*Christoph: Reichelius  
Rancoviensis  
Ecclesie Pastor*

ΓΑΜΗΛΙΟΝ.



**B** A R B A R A N I G R I N O N E O M E N I A S, *aspice*  
 Jungitur, o Sponsis dic bona verba novis, (CHRISTO,  
 Mutua quisquis amas socia commercia tædæ:

Sponsum ipsum & Sponsam cum PATRE, quisquis amas.

De Sponso: teneris Pietatem amplexus ab annis,  
 Laudum alacrem tetulit per genus omne pedem.

Et nunc corda hominum caelestis semine Verbi

Inserit: ut CREDANT, remque PIE usque GERANT.

Sponsa pudicitiaque & sedulitatis amatrix

Audit, ob id Patri filia cara suo,

PATRI, quem sacris Custodem Altaribus, oras

Per Patriæ Patrii vox dedit ipsa DUCIS.

Et meritò, Doctrina Viri, benè consona VERO

Religio, Biblicis non nisi nixa libris,

Flexanimique trahax hama gutturis; acria seu Lex,

Sive Evangelium poscat amica loqui,

Consiliorum & apex Prudentia. Vitaque nusquam

Officio pugnans, dogmatibusque sacris,

Hæc, hæc efficiunt, NEOMENI, grande tuis ut

Symmystis specimen sis, specimenque gregi:

Hæc eadem me concordi tibi glutine jungunt:

Hæc TEMPLUM ingenuè GYMNASIO adsociant.

SIC BENE HABET CULTURA; ET SIC HUMUS Æ-

THERA PLANTAT:

CUM VERUM, REPETIT QUOD SCHOLA, TEM-

PLA SONANT.

Ergo Tui quoque respectu bona mille precandum est

Conjugio Generi Filiolaque tuæ,

Pace torus caleat: mensam benè-nata coronent

Pignera: perspicuo luceat igne focus.

B

Exitus

*Exitus optatis absit? BONA QUIPPE BONORUM  
SORTE BONÂ GAUDET LINEA, DANTE DRO.*

*M. LAUBANUS  
DUCALIS ap. Bregensis GYMNASII  
RECTOR σκευθησας.*

---

Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi,  
Terent in Adelph. Actu V. scena IV.

**S**ic quondam ille tenax & tristis Demea dixit,  
Sic dicunt hodie, quibus  
Xantippe miseris fulmina detonat:  
Sic dicunt quibus est suboles numerosa procaxq;  
Sic dicunt quibus abnuat  
Successus faciles conjugij, DEVS.  
Dicant quod dicant, tristetur Demea, quantum  
Tristari cupiet. Mihi  
Plenum est dulcacidæ conjugium rei.  
Adspicis ut Cæli facies mutetur in horas:  
Nam mox pulcra serenitas,  
Mox adsunt etiam nubila tempora:  
Et seu nubila sint, seu tempora fortè serena;  
Non sunt omnigenis procul,  
Nórunť Agricolaë quas, bonitatibus.  
Sic in conjugio quæ sæpe videntur amara,  
Dulcorem generunt suum,  
Et sunt plena suis usibus & bonis.  
Hinc schola tam crucis est quàm lucis, vita jugalis,  
Est doctrix patientiæ,  
Est mater variij conscia gaudij.

Nigrine

Nigrine ad studium pietatis nate sacratum  
Idem Sponse probissime,  
Idem care mihi & Compater optime:  
Absq; omni dubio, mecum quod sentio; sentis:  
Hinc duxisse puellulam  
Mens est, quæ egregijs nata parentibus,  
Dulcacidam poterit tutam Tibi reddere vitam,  
quæ sortis placidæ decus,  
quæ sortis dubiæ grata medela erit;  
Quæ deinceps pulchrâ faciet T E prole parentem  
Et quæ T E venerabitur,  
Et quæ Te placida & læta verebitur.  
Hoc votum esto meum sinceri pectoris, adde  
Cum Sponsâ ipse preces. D E V S  
Vtriq; , ex animo quod capitis, dabit.

*M. Johan. Güntherus.*

---

ALIUD.

**E** St verum, quod in ore ferunt juvenesq; senesq;  
Uno Fata premūt non pede, quādo premūt:  
Causa dat effectū: Letho undiq; & undiq; luctu.  
Hosce premēte Lares; quomodo læta canā?  
Abstulit atra dies Socerum! Soceriq; sequenti  
Sole etiam Nati stamina Clotho secat.  
Nec fat erat duplici strage affecisse secanti  
Falcifero, flentes funera bina domūs:  
Vix tumulo dederam duo corpora lumine caesa,  
Bina iterum generis fulera sub astra trahit!

B 2

Vitrici

Vitrici enim soror & Lunæ sub lumine eodem,  
Hūic soror & socrus ibat in alta comes!  
Hinc dolor, hinc virtus arcent mea gaudia, Sponse,  
A Lætis, Letho sic onerante meos!  
Ne tamen ad vestros videar tacuisse Hymenéos,  
Tristi corde dabo, ast candido ab ore preces:  
Vos Socer & Socrus, Génitor Genitrixq; favete,  
Sponsis: sed DEUS his omnibus une fave!

*Mæsto scribb. calamo  
M. Georgius Gerhardus.*

---

**M**Ors, & Cupido vespere quopiam,  
Uni adfuerunt hospitio ac idem,  
Cubiculum nacti fuerunt,  
Perbenè ubi cubuère uterq;  
Quid fit? Cupido dùm sua Spicula,  
Captare pergit; tela capit Necis,  
Pulcherrimum maçtat puellum,  
Atq; Senem locat ad puellam.  
Nigrine dilectissime, Si Tibi  
Hoc accidisset, quod Iuveni accidit,  
Heu quàm doleres! quàm dolerem  
Hanc ego Conditionem acerbam,  
Verùm Cupido spicula propria,  
Direxit in Te: Mors tenuit sua:  
Quo nomine est congratulandum,  
Atq; Tibi, atq; Tuæ isti Amicæ.

Mors

Mors tela condant; tela Cupidinis  
Sic dirigantur, saucius ut benè  
Saneris, atq; optatiore  
Prosperitate diu fruaris.

M. Bartholomæus Schwetkuis in Illustri  
Bregio Docentium Collega.

---

**B**ARBARA cum Sponso sociatur Sponsa NIGRINO,  
Num benè conueniens unio talis erit?  
Quàm benè! si potui rerum dignoscere causas,  
Natura hæc iungit uincula, Cæles amor.  
Non Sponsus NIGER est, cuius sit nulla fauoris  
Gratia, quin totus candidus est animo.  
Candida corda gerit, fisco non læsa maligno,  
Hunc vultu Charitum mellila Triga beat.  
Sponsa nec ingenio gestat sub pectore tristem  
Barbariem, at potius lactea uerba serit.  
Filia Theologi est, quo non præstantior alter  
Ore, nitore, fide: filia talis erit.  
O faustum & felix, votis quod & opto petitis,  
Coniugium, & uite copula sancta cluat:  
Qua Candor, simul & Pietas iunguntur, amore  
Hoc quid amabilius, dulcius, aut melius?  
Vivite felices, & ab omni parte beati,  
O SPONSI, optatâ pace perennet amor.

M. Ioannes Gederlinus  
Medicinæ Candidatus F.

B 3

Laudo,

¶

**L**Audo, nec admiror, quod foederà sãcta Nigrinus  
Pangit, & in thalamo delituisse cupit.  
Sic fecere patres, sic nos faciemus, & omnes  
quondam qui nos post FATA sequentur agēt.  
Nempe solum debet numerosã crescere prole,  
Et debet multã prole vigere polus.  
Vivat in exilio vitã qui cælibe gaudet,  
Nec potis est patriam prole replere suam.  
Sponsus habet noster, cur sumat honoris olivam,  
Nam properat patriam prole replere suam.  
Ut fiat subito, videatq; in amore nepotes,  
Efficiat Dominus, qui facit omne quod est:

*Scrib.*

*m. l.*

*Georgius Güntherus  
Olsnã Silesius.*

---

**T**Andem etiam extorsit nati tibi lumine cassi  
uerba Parens, animi signa, Nigrine, tui:  
Tu mihi sola places mea lux, subpallidus inquis  
atque iterum ingeminas tu mihi sola places.  
Elegisse unam certum est, quæ sit tamen illa  
incertum, cautus nomina cara tegis:  
Non benè celatur flamma hæc cum absconditam amantùm  
faucia corda putant, prodit in ora virùm.  
Hæc etenim vis est Paphiæ, puerique volantis,  
cogat ut invitos sæpe tacenda loqui.  
Sic tu qui pridem celãras nomina Nymphæ,  
hos quoq; , quos socios iunxerat alma fides.

Vicius

Victus Acidaliæ flammis sic farier infis  
Barbaram amo, mea lux, Barbara, vita, decus:  
Tu me languentem, Veneris tu faucium ab ictu  
sola levas, Zephyri tu mihi sola vice es:  
Pluraq; non ulli ut possim debere, tibi quam  
me penè a Mortæ limine restiturs.  
Scilicet ingenua hæc confessio primus egenti  
auxilio ad vitam est, & bona quæq; gradus:  
Sic tecum vellem languere, iterumq; valere  
sic Paphiæ vellem tecum ego tela pati.  
Exiguus dolor, est tibi quem geminata voluptas  
compensat numeris lætitiæ innumeris,  
Taliter adfectis A Escclapi pôela vigorem  
non dant, Herculeum non facit huc Panaces.  
Quæ læsit vulnus sanat quoq; Diva, vigorem  
quæ abstulit, illa eadem reddere Diva potest:  
Exemplum Sponse, es dubitanti, Barbara amore  
capta tuo damni est dulce malagma tui,  
Illius & contrâ damni es tu certa medela  
vix sine te poterit Nympha valere diu  
Sanare hoc nonne est unius vulnere vulnus  
alterius? mirum, sed Cytharæa solet.  
Cura satis plana est, hancque experientia multos  
edocuit: vobis plana futura eadem est.  
Vos modò non segnes stertendo perditæ noctes  
non decet immodicus te, Neonymphe, sopor.  
Tu quoque ne timeas agilem sentire maritum  
Nympha, hic Nigrinus, quod scio, non niger est.  
Nomine neve metum incutiat tibi Barbara Sponse,  
est mansueta satis blandaq; tota fatis.  
Cætera non moneo: decimo set mense uidebo  
quo vivis fueris num memor ipse loci.

Interea

Interea faustos vobis longo ordine soles  
ille soli donet Rector, & ille poli.

*Hæc fingeb. & scrib. Strele*

*Sponsi Agnatus.*

*Johannes Francisci ex Elysijs Ola-  
viensis, SS. Theologiae Studiosus.*

**Q**uidnam coniugium, quo corcula bina iugan-  
Nil nisi pol quædam dulcis amicitia (tur?  
Hæc paritate viget; paritas connubia firmat:  
hinc iam firma satis surgit amicitia  
Fædera coniugij gestit qui casta subire,  
observet, jungat quam sibi, nempe, parem  
Parq; pari iungendum, (impar quod dissidet omne)  
si veniant fidâ corda liganda fide,  
Sponse, oculis claris usus suafore graviq;  
dum vitæ sociam quæris & ipse parem  
Nec malè procedit res: namq; reperta puella est,  
quæ poterit thalamum condecorare tuum.  
Pastor Pastoris Natam virtute virentem  
ducit; & huius erit par quoq; coniugium,  
Coniugium felix, & læta sorte beatum,  
arctat quod nodo pectora bina pari.  
Perdurat pulcer ceu longum amaranthus in ævum  
Sic non marcescat vester amoris amor.  
Quod super est, opto, concordia turturis ambos  
vos cingat, vestra gliscat & usq; toro.

Propiti-



Propitium numen vestrum sic prole replebit  
coniugium, & vitæ tempora longa dabit.

Witeberga deproperabat  
Jonathan Tilesius Olavia  
Si L. Sponsi Agnatus.

**S**eu juga Parnassi seu celsum Heliconæ sorores  
Incolitis, vestris huc properate lyris.  
Hic vos alterno percurrere pectine chordas,  
Hic dare læticiæ carmina plena decet.  
Vester honos agitur: stabili sibi jungere Phæben  
Ecce novam vester jungere Phæbus hævet.  
Phæbus! qui tot vos coluit, vobisq; tot annis  
Cultus in Aoniis Pieriisq; jugis.  
Phæbus, quæ Charitum (liceat modo) quarta vocari,  
Immo vestrarum dicier una queat:  
Quam generis formaq; lepos, morumq; venustas  
Ornat, & ingenuâ cum pietatē, fides.  
Gaude Phæbe, tuâ Phæbe, tot dotibus auctâ  
Hocq; DEI tanto munere mactē novo.  
Tuq; tuo pariter Phæbe latissima Phæbo  
Gaude, te digno conjuge, digna viro.  
Vidimus obscuræ per opaca silentia noctis  
Ut Phæbo Phæbe luceat orba suo.  
Quippè maritali conjux à nomine dici  
Gaudet, & illius luce serena frui.  
At tu nativa Phæbéum jungito lumen,  
Lumine sat celebris sic ab utroq; clues.  
Phæbus at hic, inquis, niger est, ideoq; cavendus,  
Falleris, ut niger est, sic & amandus erit.  
Uritur. Hinc ustis arent præcordia fibris,  
Næ tibi nigredo cesserit ista bono.

C

Macti

*Macti Phabijuga flammis in corpore mistis  
Corcula felici juncta, fovete, jugo:  
Et tu quæ faustas Musis comes addita tadas  
Ornatura, tuos huc, Dea, flecte gradus.  
Cypria, ades cesto nova corcula necte jugali,  
Unanimes nexu tempora longa tene.  
Quin quoq̄, quod far est, juncta tibi numine Phabæ  
Insinua radios Tu nove Phœbe tuos.  
Ipsa capax sat erit, scis, susceptosq̄ vicissim  
In patria, radios commoda grata dabit.  
Immo secuturos stirps nostra celebris in annos,  
Lustrabit radiis postera secla suis.  
Quid non Phabijugæ lati speretis amantes?  
Quid non ex vobis S L E S I A lata boni?*

V Vittebergæ scrib.

Christianus Tilesius, Olaviâ-Silesius  
Sponsi Agnatus.

AD

DN. SPONSVM DE BARBARA  
Iocum cum Voto.

**B**AL-thasar argutus Dialecticus esse videris,  
B arbara præ reliquis quod tibi sola placet.  
T antum, ceu video, tibi prima figura, Modusq̄;  
A rridet primus: prima figura placet.  
H inc benè divino, quod & affirmatio dicti  
R itè tibi placeat: nonné figura placet?  
A rrige nunc aures, mi B A L T H A S A R; anne duabus  
B A R B A R A præmissis perplacet ipsa tibi?

Sic

**S**ic est: sicq; reor; Medius fors terminus ipse  
**A**cceptus, iusto tempore gratus, erit:  
**A**n rides? loquor expertus; mea lingua profatur  
**R**em prius auditam; penna pudore caret.  
**R**em prius auditam, tractatam ab origine mundi  
**A**uribus hinc hauris, Sponse discrete, tuis.  
**N**il etenim sub sole novum, circumspice, quæso,  
**N**um sit, quod dici possit; id ecce novum est.  
**I**ngreditur thalamū NEOMENIA BARBARA: Sponsas  
**E**cce prius Sponsis concubuisse vides.  
**G**ignit permultis thalamus nova gaudia: si non  
**O**derit accubitus SPONSA, eademq; ferēs.  
**R**em committe DEO, tua facq; viriliter, amplam  
**M**ercedem accipies; pignora grata simul.  
**I**ncolumes fervet vos ambos Rector Olympi;  
**E**veniant vestro prospera fata toro.  
**N**exibus haud dubijs animos CONCORDIA jungat,  
**N**e thalamus careat commoditate sua.  
**V**obis divitias decus & DEVS augeat; adfit  
**I**ntemerata fides, intemeratus amor.  
**S**int procul à vobis lites & iurgia nigra:  
**A**mbo Sybillinos vivite, quæso, dies.

**CHRONODISTICHON**

**O**ctober bis non Vs erat; post ad De Dies tres:  
**N**igrino Sponso Barbara Sponsa fa Vet.  
**A**liud.

**F**esta Dies Vrs Lætæ Dis fert prandia Lætæ:  
**B**arbara fert Sponso basia grata no Vo.

*Simon Riedeman Reichsteinensis. S.  
 in illustri Bregéo Docentium Collega,  
 et templi Cathedralis Cantor.*

C 2

Vtilius

**V**tilius non esse, **DEVS** quod contulit Orbi  
 Coniugio donum, commoda nostra probant:  
 Nam vitæ status hic humano suggerit usu,  
 Doctrinâ claros, ingenioq; **Viros**.  
 Hinc collecta **DEI** florens Ecclesia Verbo  
 Crescit & hinc manat fœdus amicitia.  
 Ergò si tollas thalamos, licitosq; hymenæos  
 Tolles é medio sancta statuta **DEI**.  
 Doctores ubinam verbi, prudensq; senatus  
 Esset, ubi, Patriæ qui bené præsit, erit?  
 Publica nec res salua diu consistere posset,  
 Coniugij si non fœdera casta forent.  
 Omniaq; in peius ruerent, tandemq; redirent  
 In nihilum, & fierent omnia turpe Chaos.  
 Ergo Papa uale, cætusq; recedite, ab ipso  
 Numine sancitum, qui prohibetis, opus.  
 Maturate fugam: nam vos absurda docetis,  
 Talia non docuit Filius ipse **DEI**.  
 Ergò tibi, socijsq; tuis non fidere tutum est,  
 Nec damus edictis credula corda tuis  
 Nos potius **S P O N S I S** subeunt qui fœdera lecti  
 Gratemur felix progrediatur opus.  
 Christe **DEI** Fili, cui vincula jugalia cura  
 Perpetuò certent fac in amore duo.  
 Utq; gerit Laurus florentes frondis honores:  
 Sic omni vigeat tempore vester Amor.

Honoris & piæ affectionis Ergò  
 scribebat Adam V Vagnerus Ie-  
 gerdorf. Ludi Olauiens.  
 Moderator.

Apostro

Apostrophe ad Sponsum & Sponsam.

**B**Arbariemne fugis? data cur tibi Barbara nuptū!  
Barbara num mente est? Barbara nomen ei est.  
Et tu, quæ nigra sunt fugis? en spōsusq; Nigrin⁹:  
Nomē habet, num sit mente niger, reor haud.  
Barbara non mente est, quæ Barbara nomine dicta  
Corde niger non est: ipse Nigrinus ait.  
Blandus amor, blando iam Sponsæ in corde coruscat,  
Lucet & in Sponsi, Candor, Amorq; pius.  
Sic erit, ut non sit re ipsa, sed nomine tantum,  
Barbara: Sponsa tibi Blandula semper erit.  
Sis quoq; non vultu niger, ast sis candidus illi;  
Et concordabit sic, bené iunctus Amor.  
Absit ~~ei⁹~~ sed ~~te⁹~~ vobis sit, blandula corda  
Nunquam seiungat, mors, nece, nigra malā  
Pectora uestra diu vivant Concordia bina  
Hæc mea vota, bonus, det rata vota, **DEVS.**

*Tenui calamo adychiebat*

*Sponsi Cognatus*

*Michael Timanus*

*ap. Olaviens.*

*Cantor.*

---

**E**St ita: **NIGRINO** nubit **NEOMENIA** Virgo,  
**BARBARA** **NIGRINO** stat socianda **VIRO**.  
Quàm malè! **NIGRINO** non est socianda **MARITO**  
**BARBARA**, **NIGRINVS** barbariemq; dabit.

**C 3**

**BARBA.**

*BARBARA NIGRINO si fert nova germina, fiet  
Barbara nigredo, nigraq; barbaries.  
Esto, Sed est NIGRI, NEOMENIA BARBARA; quid si  
Ista astrispicio sit tribuenda fides?  
Ut, Luna veluti nigra est Neomenia forma,  
Lucida sed posthâc candidiorq; redit:  
Sic NIGER hic posset dêinceps candescere mente,  
BARBARA sic posset svescere, mente NIGRI?  
Immò: Quid? garrus, nihil est, DEVS hisce maritis  
More dabit mentem candidiore bonam:  
Utq; novis Sponsis fiant NEOMENIA vota  
Sic rata, sic grata; hæc suscipe vota DEVS.*

Suo olim in Academijs Convictori & Contu-  
bernali, promissa nunc exsolvens, gratulatur.  
Godefridus VVagner Vratiss,

---

**E**Xeo Silesiâ. quis enim, sine fine, paternis  
hæreat in laribus, ceu domi porta chelis?  
Exeo cum IOVA, sed quid NIGRINE relinquam,  
vt nunquam possis immemor esse mei,  
Nil nisi versiculos ex vili flumine ductos  
qui tibi permagni muneris instar erunt.  
Nempe tuis tædis voveo quæcunq; Poëtæ  
exanimo, tædis fausta vovere queant:  
Rides? propterea quòd ad huc tibi nulla sit uxor  
nullaq; sit menti cognita virgo tuæ:  
Et tibi de tædis grator? compesce cachinos:  
nosce meam mentem: sat rationis adest.  
Nubilus es; doctusq; vir es; nec ad illud, ad illud  
quod venus in lecto suadet, ineptus eris.  
Sparta brevi lata est, quid iam cupis amplius? herclé  
nil nisi proliferi fædus inire thori. Matures

Matures opus est NIGRINE; & ad illud, ad illud,  
quod Venus in lecto suadet, apertus eas.  
Ite: quid admonco? quasi non lætissimus ires,  
cum sociâ stirpem multiplicare tuam!  
Augebis stirpem, certum est, nam nosco, quod in te,  
Hinc etiam prolem grator Amice tibi.  
Et rectè grator, fieri quæ munia paucis  
possunt que fieri pluribus illa velim!  
Promissum iam carmen habes NIGRINE, sed â Te  
quid cupiam; fidei quæ monumenta dabis?  
Est ingratus ager, qui munera nulla rependit,  
Tu nisi reddideris munera, talis eris.  
Laude meam Sponsam celebra, thalamumq; corona  
versibus, & suboli scribe Epigramma meæ.  
Sponsa vbi, ubi thalamus, subolesq; ubi? vivit IOVA:  
qui Sponsam, thalamum, qui sobolemq; dabit.  
Objicis es: iuvenis: benè: iam flos pulchrior ævi est:  
quid fæx, si floris perditus esset honor?  
Parvus es; instabis. quid tum! vix cedo giganti:  
Nec de me poterit pressa puella queri.  
Vidi semivirum, si spectes corpus & armos:  
et vidi decies hunc fabri-IANE tace,  
Ergo tacebo. Vale Nigrine & perfice carmen,  
mox veniam. SOCIA nolo carere diu.  
Nolo carere diu SOCIA: sed ad illud ad illud,  
quod Venus in lecto præcipit, ibo Vale.

*Vale & millies  
Salve à tuo I. H. P. L.  
quem nosti.*

Ad No.

Ad Nomen Sponsæ Allusio.

**E**tt tu, jam Lunâ celebras Novilunia lætus:  
Decrepitâ, planè more Nigrine novo?  
Quin paullū expecta potius, tua Fataq; cauto  
Occupa, ut antiqui constituere Patres.  
Sed tibi Thêiologo prisca hæ sapientia fordet,  
Et desiderium se properare facit,  
Ergò agedum propera cupidus, properaq; potiri,  
Et, quoniam inversus tam placet ordo tibi,  
Cum Nova rursus annó Luna hæc Octava redibit,  
Luna, novâ Lunâ, sit tua Plena tibi.

*Thomas Schramus Silesius  
bene-omīnans f.*

**Q**ui fit quod morū veterum tam vulgus ubiq;  
Immemor? inventus nū mage fortè bonus?  
Antiquis quondā Graijs Gens barbara prorsus  
Dæmonerat: Tibi sed Barbara num Genius  
In pretio est, cara est, sic cara, at Barbara quævis  
Nunc clueat, malis, dum tibi Barbara erit.  
Cur non Margaridem ducis? num Barbara præstât?  
Præstant Margarides Barbara quisq; abigit.  
Sed forsan reputas, quod non fiet omnibus omen.  
Qua mvis sit nomen proptereaq; cales  
Auguror, & rectè nam Barbara Barbara si sic  
Non Bellatori seq;, suumq; daret,

Euge



Euge BONUM FACTUM antiquo quod more recedis:  
Quodq; malum nemo, nisi malus ipse vocet.

*Andreas Lucas Lusat.*

---

**N**igra dies abiit, tibi candida, Sponse, refulget,  
Dū venit in thalamum, candida Sponsa tuū.  
Candida Sponsa datur Nigrino; cādidā Nigra  
Redditur, aut potius candidus ille niger?  
Nomine sed quoniam saltem natura Nigrinum  
Donat, haut nigram mentem animumq; dedit:  
Sponsam purpurēā quæ lustrat luce Nigrinum,  
Reddere non poterit, ista nigredo, nigram.  
Sit Niger ergo bonus Sponsus, sit candida Sponsa,  
Candidus & Sponsus, sit procul omne Nigrum.  
Candida sæpè dies splendescat, candida, lites  
Pax fugitet, veniat candida sed soboles.

*Candidè adponebat.*

*Bartholomeus Nigrinus,*

*Bregensis Silesius*

*Sponsi frater.*

---

**Q**uod sine sole dies, illud sine compare vita.  
Namq; velut nebulis quando est absconditus atris  
Sol, cuncta apparent solito plus tristia in orbe;  
Ast ubi disjecit nebulas, roseoq; refulsit  
Lumine, cuncta velut reparant nova gaudia rursus.  
Haud aliter quisquis celebs traducere vitam

*D*

*Aggredi.*

Aggreditur, nigras sentit persapè tenebras;  
Providus at quisquis sociam sibi copulat, ille  
Plus poterit vacuum gravibus traducere curis  
Ævum, nec deêrunt duris lenimina rebus.  
Talia volventes animo tacito Neonymphi,  
Pro consorte Deum suavi votis precibusq;  
Sollicitare pijs vobis fuit unica cura.  
Annuit ille, pijs precibus, moderamine miro  
Iungit utriq; sui similem, quis numinis absq;  
Hæc ita gesta putet, nutu? neget impius illud.  
Gaude Sponse igitur multum, tibi ducitur uxor  
Laude pudicitie, insignis, pietatis amatrix  
Quæq; probè novit quid cura domestica portet.  
Magna tibi vitæ deerat pars, vivere demum  
Incipies, uxor siquidem pars altera vitæ.  
Ah quoties gravibus solvet tua pectora curis;  
Ah quid te vano crucias, mea vitæ, dolore  
Dicet, dulcisoni præstans solatia verbis.  
Tu quoq; Sponsa decens capias nova gaudia mente,  
Namq; vir eximius, veræ pietatis amator,  
Et probitatis amans tecum sacra fœdera nectit.  
Hunc oculis animoq; pio tu respice solum,  
Hic tibi tutor erit, vitæ fortisq; columna.  
Sed iam sol rutilus rapidos ciet, altior æstus  
Æraq; sub templis crepitant dant signaq; Sponsis.  
Et citharæ resonant, berecynthia cymbala latum  
Pulsa sonum reddunt, vario modulamine cantus  
Accinitur; celebri pompâ deductus uterq;  
Sponsaq; cum Sponso sacras procedit ad aras,  
Veriloquo Domini verbo ut sua fœdera firment.  
Vota precesq; igitur Neonymphis iungere fas est.  
Tu Trinune Deus, casti qui fœderis auctor

Primus

*Primus es, hacce novis facito rata fœdera Sponsis,  
Corporibus gemini, mentis sint unius ambo,  
Vna mente tuum timeant venerabile numen,  
Virtutemq; colant sectentur pectore pacem,  
Vnanimi, vera flagrent pietatis amore,  
Prole bea thalamum, tua sit benedictio praesto,  
Ut natos videant dulces, dulcesq; nepotes.  
Hac opto, meliora dabit Deus omnia votis.*

Nicolaus V Voldenbergius  
Cremp. Holfatus.  
S. S. Theologus, Stud. V Vitebergæ.  
fac.

---

**E**T tibi mercatus luce refulsit,  
Quo Neonymphe vocas in tua vota  
Nympham, quæ blanda est, quæ sat honesta,  
Quo socij fieretis copulati  
Vnanimi nexu carne sub una.  
Nonne times vitæ coniugialis  
Impetus ingentes ardua; ampla?  
Conantur quibus evertere prorsus  
Multi illam: nôrunt quippe ratissimum  
Esse Hominum rerum de I O V E fulcrum.  
Asmodes technas fingere iniquas  
Insidiasq; potest quas modò atroces  
Adstruere haud mittit nunc etiam hostis.  
• Ceu S A R A E olim castoq; T O B I A E.  
Tolleret ut V I T A M C O N N V B I A L E M.

D 2 Non

Non statuis Remoram hanc esse verendam  
SPONSE NOVELLE, DEI nixus in ore,  
Quo sanxit thalamum, ut charta sacrata  
Monstrat, ubi fructus colligit eius,  
VXOREM PINGENS VITIS ad instar.  
Quæ recreatio, vita atq; Viri umbra est  
Quæq; corona eius prædita cultu  
Virtutum mentis corporis atq;  
Talis amica decus coniugis amplum  
Votum oculorum, caræq; medela.  
Amplexare tuam ergò, est quia talis  
LVX, OCVLVS, REQVIES, GLORIA, VITA.  
Vivite, iam unanimes quot DEUS annos  
Connumerare dabit. Cætera & IPSE  
PROCVRET, FACIAT, DIRIGAT, ORNET.

Johannes Cuius  
Mariæ. Boruss. F.

---

**B** Ellè inter eruditas  
Musarum dominas, & examuissimæ  
Venerem venustam convenire  
Liquido patefcit  
Expoliunt tenellos  
Roborantq; animos novem sorores,  
Post verticordia indulget hisce  
Lepidas invencas,  
Ida venustiores,  
Non turpes, spatulas, sed Hypsithelas,  
quin musteas & susmundas  
floridas Barbrillas.  
En testis invidendus!

Suade

*Suada Theologa decus peritum!*

*Musarum alumnus corculumq;  
sapientiorum!*

*Sponsus colendus! Hunc quem  
Musæ primitus expolire in arte  
Septemplici nisu allaborant  
vigilantiori,*

*Theolico nitore*

*Hinc fulget, Latio sapore sapit,  
poëticis cultus loquelis*

*cluet expeditus*

*Hinc invidendus arte  
Enthea, ingenij sagacis astu  
Monstrat sacrum inspiratq; nectar  
animis sacratis.*

*doctrinx amationum*

*Sponsi dein stimulat ferociente  
amoris astu virginali.*

*Animam insolenter,*

*Jungitq; suaviolem*

*Puellam lateri, auream maritam  
decus viri, decus pudicum*

*Veneris pudica,*

*puellulam virentem,*

*Et pia pietatis estimantem,*

*sobolem viri, gemma virorum,*

*Sapientiorum*

*Et applicat mcdelam,*

*Bruma in precipiti rigore longam  
septem pedes vel sex salubrem*

*Anima erudita.*

*Flos*

Flos erudite, SPONSÆ  
Mecenas, sapientia medulla!  
Hoc sospitet trias decenter  
Liquidoq; fato,  
Quod mustea sorores  
Dicant iure bono, & favore summo,  
Et quod dicat Regilla Cypræ  
Valido apparatu.

T. B. L.

---

**Q**Vam malè NIGRINO nomen tibi fata dedere  
dissona nam nigris nomina rebus habes.  
Quem decorant Musæ, cui mores GRATIA  
(finxit  
ne donis quicquam deforet eximijs,  
Os cui consperfit Cyprio natura decore,  
pectus & indulgit cui nive candidius  
Concolor hinc etiam divum cui munere coniux  
jamdudum optatos ducitur in thalamos  
Hic NIGER est minimè, nomen cum dissonat ipsis  
Rebus, an NIGRVM dixeris esse hominem?  
Quid precer ulterius Tibi, Candida fata beata,  
det DEUS ut multa prole vocere pater.

Suo D. NIGRINO adp.  
Johannes Albinus SiL.

---

Aliud.

**O**Mnia, quæ fieri divina lege jubentur,  
Feceris, ingenio pectore, sponte tua:

Dum

Dum Sacer es factus Mystes, Reverende Nigrine,  
Dum simul officium connubiale subis.  
O bona magna DEI Mystam esse, Probéq; maritum!  
Eveniunt solis tam bona magna piis.  
Nunc age dilectæ vernantia symbola Nuptæ,  
Iucundo Flores pectore, Sponse, legas:  
Namq; DEI verbum sincero dogmate tradis  
Salvificam sanâ religione fidem.  
Atq; probam ducis Sponsam; confide parentem  
Ejus utrumq; satis novimus esse pium.  
Credo igitur finxisse tibi, Doctissime Sponse,  
Cor animumq; luto de meliore DEum.  
Ipse tuum Sponsæq; tuæ DEus uniat arcto  
Pectus amore; pio vos liget igne duos.  
Vive, vale; precibusq; lites Hymeneia Christo,  
Huic curæ fuerint cætera; vive, vale.

*Christophorus Bach Rivius,  
Falcoberg: Sil:*

---

**V**Ides, ut omnes gaudia præbeant  
Dilectæ, nec jam sustineant onus  
Curæ laborantis, nec ulla  
Anxietate agitentur acri.  
Cur? Nam, sacerdos doctus in artibus  
Lingvisq; cunctis doctus & in sacris,  
Cunctisq; percharus silesIs  
Associat thalamo puellam,  
Dico puellam, laudibus illa nam  
Excellit omnes, quam facies bona,  
Et sanctitas morum, pudorq;  
Eximit è numero frequenti.

**Ad este**

Ad este virtus & pietas viro,  
Adeste Musæ: relligio sacra  
Sumens amictum lætiores  
Concelebret thalamum novatum.  
Dissolve curas mente super tua  
Large reponens gaudia maxima,  
Deprome plausus nunc benignè,  
Balthasar atq; simul marita.  
Permitte Jhovæ cetera qui dabit  
Successum amicum coniugio pio.  
Non ergo dulces nunc amores  
Neglige Sponse, venusta Sponsa.  
Donec virenti canities abest  
Morosa: nunc & basia suavia  
Lenesq; sub noctem susurros  
Cum placida repetas marita.  
Hoc munus idcirco exiguum cape,  
Captumq; serva, pectore fervido.  
Nec lite restringatur ardor  
Vester, id opto tibi tuæq;

Johannes Eberhertl.  
Jglaviâ-Moravus  
Philos. & SS. Th.  
Stud. scrib. Witeberga.

---

**E**st certè fidâ nil Coniuge suavius: illa  
Plurima damna levat, gaudia multa creat.  
Vxor



Vxor fida Dei donum: contingit & illis,  
Qui Domini leges justitiamq; colunt:  
Sponse tuis, ausis omni ratione beatus  
Es, tibi dum fertur tale charisma Dei.  
Læticiâ saltes: Neomeni filia tecum  
Nam pepigit thalami tempus in omne vices.  
Qui bene cuncta facit vobis det in omnibus æquè  
Successus faustos, & bona cunctibona,  
Hoc votum vestris tædis mea lingua precatur:  
O DEVS hoc votum perfice ritè meum.

*Abraham Schweitzer.*

---

Ad D. Sponsum.

**N** Auita cùm dubium puppi conscendit in aquor  
Impellens remos sidera fausta rogat.  
Cum Jove bella gerit Miles; cum Numine Messem  
Agricola aggreditur: ne malè cedat opus.  
Summum Sponse Bonum faveat, dum ducitur Vxor,  
Aspiret captis aura secunda tuis.  
Flamma per incensas citius sedetur aristas,  
Fluminaq; ad fontis sint reditura caput:  
Et placidum Syrtes portum & bona littora Nautis  
Præbeat hospitio seva Malea suo;  
Quàm possit vestros quisquam, rependere amores,  
Turbare aut casti fœdera casta thori:  
Mutua concordie coalescant pectora nexu,  
Vella tuum Sponse velle sit opto tua.

E

Hæc

*Hactis, cui semper sunt vincla jugalia cura,  
Ut bene succedant, dirige vota, DEVS.*

Frid. Tschirnesius Gorl: Lusatius.

---

**N**on nisi Divino contingit munere Sponso  
Sponsa pudica: velut pagina sacra docet.  
Et cui coelestis talem dat GRATIA Sponsam,  
Hunc Patris æterni plurima dona manent.  
Felix hinc multum noster NIGRINUS habetur,  
Cui pia iam Dio munere Sponsa datur.  
Huic mea Musa novum meritò gratatur honorem,  
Illius & thalamo prospera quæq; vovet.  
Ergo sit æternum SPONSUS cum coniuge felix:  
Felix cum Sponso sit pia SPONSA diu.

*Andreas Heylman  
Transylvanus.*

---

**Q**vando spumosos secum vehit unda vapores,  
Tum simul ingentis copia crescit aquæ:  
Quando latet veris sic pectore flammula amoris,  
Quotidiè talis multiplicatur amor.  
Hicce suis tangit levibus præcordia flammis,  
Vulnerat hic arcu pectora chara suo:  
Svavibus hic herbis non est medicabilis ullis,  
Hic arctat nodo pectora bina pari.  
Spicula te feriunt, uritq; amor igne medullas,  
Sponse, tuas, dum fers tristis amoris onus.  
Vulnera Phyllirides non tollet, néve Galenus,  
Hippocrates nullâ Vulnera tollet ope.

BAR.

BARBARA morborum sola est medicina tuorum,  
Hæc Cataplasma parat, Vulnera fæda levat.  
Nunc age, nunc gaude, nunc Sponsæ basia fige,  
Guttore nunc lætus jubila pande tuo.  
Vivite concordēs, paribus qui pectora nodis  
Iunxistis, quorum pectora amore calent.  
Vivite felices & prosperitate beati!  
Vivat posteritas: seclâ videte decem.


â  
Martino Knobelsdorffio.  
Reichenb. Sil.

χρονό σιχον

BALTHASAR, OctobrI noV les bls terqVe reDIVIt  
VIX LVX, hêICCe tIbI BARBARA pVLCra  
DatVr.

M. K. R. S.





Elenchus contentorum.

Bismarckii vita et res gesta theologorum orthodoxorum recens.

MUSNERI Fides Jobi.

Concilium oecumenicum octavianum.

ULB Halle

003 509 435




3

5le

VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

3

Conjugg. novellis.

REVERENDO AC DOCTISSIMO VIRO

D. BALTHASARI NIGRINO,  
FIDO JESU CHRISTI  
Servo, in Ecclesiâ AGRI BOH-  
RANI,  
ET

BARBARÆ NEOMENIÆ  
VIRGINI LECTISS.

Reverendi Clarissimique Theologi

D. JOANNIS NEOMENII,  
Aulæ LIGIO-BREG, Ecclesiastæ, &  
Ecclesiarum per Ducatū Bregensem  
SUPERINTENDENTIS  
Filiæ carissimę

GRATULANTUR AMICI.

BREGÆ, Typis Casparis Sigfridi. M. DC. XIV.

